DISSERTATIO
INAUGURALIS PHYSIOLOGICA

PERTRACTANS

INSTINCTUS SOTERIOS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. Professorum

pro

Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea

RITE OBTINENDA

in celeberrima

ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni

submittit

Nicolaus Erdélyi,

Confiniarius Orlatinus.

In theses adnexas disputabitur in palatio Academiae Josephinae die . mensis Januarii 1841.

Vindobonae.

Typis Caroli Ueberreuter.

Tu modo, tu perstas, Natura! tu nescia verti
Nostra mente vaga, lex tua firma manet!
Idque unum stabiles dubio nos tramite reddet,
Fidi si nutum vimque tuam sequimur.

ILLUSTRISSIMO AC MAGNIFICO

DOMINO DOMINO

FRANCISCO

AB

HARTING,

SACRATISS. CAES. REG. APOSTOL. MAJESTATIS GENERALI
ET PENES STATUS CONSILIUM REFERENDARIO

etc. etc.

VIRO

ANIMI CELSITATE, CANDORE, AEQUITATE

CLEMENTIA ET BENEVOLENTIA

AEQUE INSIGNI,

nec non

DE PATRIA BENE MERITO,

BONARUM ARTIUM SCIENTIARUMQUE

FAUTORI

TAMQUAM

ANIMI GRATISSIMI, PERENNIS VENERATIONIS

SINCERIQUE CULTUS

MONUMENTUM

PIA MENTE HASCE LITERARIAS PRIMITIAS

offerre ac consecrare audet

gratissimus ac devinctissimus

Auctor.

Praefamen.

Quid humeri valeant, quid ferre recusent, diu mecum perpendens, argumentum pro mea dissertatione *instinctus soterios* e penu physiologica, in qua cornucopiae delitescit, unde aptissime thema aliquod depromi posset, selegi. Ast tantum abest, ut somniarem, me novi quidpiam invenisse et typis mandasse, ut potius ingenue fatear oporteat, me modo ea collegisse, quae conatus celeb. virorum jam in lucem protulerint, quaeque tironem fili Ariadnei adinstar manu duxere. Melius, mehercle, est in campo procedere tuto,

quam altos quaerere montes, minimeque vellem Icarus esse, qui pennas combussit, quum in scapulis alas sentiret. Te autem rogo, lector benevole! ut virium imbecillium et temporis angustiarum memor laborem ex aequo judicare velis.

Auctor.

Nisus, omnibus naturae entibus innati, omnia alia ita et hominem ad naturalia perficienda monentes, incolumitatem vitae individualis respicientes, in libris instinctuum soteriorum nomen gerunt, suntque sensus organici, per totam vitam plus minusve vigentes, hominem a primis annis ad senectam et mortem usque ad varia persequenda impellentes, atque existentiam individuam muneribus tuentes variis, quorum praecipua sequentia sunt:

1. Manifestat se sensus organicus praecipue instinctu seu impulsu ad certas actiones per sensum obscurum suscitato, haud voluntario, necessario et nulli experientiae aut perceptioni innixo, quo bruta animalia, modo nati infantes, fatui homines et aegri nonnunquam reguntur. Altius locatur conservationis nisus, qui actiones plurimas, quibus corporis integritas servatur, manifestas sensationes, perceptiones et voluntatis efficaciam deposcit; aliqui tamen motus, quibus pericula imminentia praecavere solemus, automatici fere sunt: sic nobis insciis palpebrae clauduntur, si quid oculum laedere minitatur, sic territi velut sponte sua sub imminente periculo retrahuntur.

2. Monet nos corporeus sensus, ut substantias varias a natura externa recipiamus, et alias e corpore eliminemus. Huc spectant sensus famis, sitis et voluptatis, quae cum manducando et bibendo jungitur, et satietatis atque nisus ad evacuandam alvum et urinam impellens.

3. Edocet nos idem sensus organicus de virium

muscularium et systematis nervosi abundantia aut defectu, et invitat nos priore in casu ad ponendas actiones voluntati nostrae subjectas, in altero vero ad quietem capiendam.

4. Inservit coenaesthesis caloris et frigoris sensui, quatenus de expansione aut contractione materiae organicae per certum externi vel interni caloris gradum suscitatis edocemur. Temperies externa papillas nerveas in cutaneo systemate inque muciparis tunicis dispersas primitus adficit, organicus autem calor per corpus universum viget, licet in medulla spinali, in nervis cum ea adhaerentibus inque centro systematis gangliorum maxime percipiatur. Advertimus hinc horrores febriles a spina dorsi eque praecordiis per corpus universum propagari, ipsumque systema cutaneum mox in consensum adduci. Cum autem corporeus sensus distinctas sensationes haud gignat, expansionis et contractionis causam, quae in materiam organicam agit, rite advertere non possumus. Inde igitur est, quod aegri saepe de calore aut frigore conquerantur, quamvis temperiei manifestam vicissitudinem nec manu nec thermometro detegere liceat, imo saepe contrarium plane observemus.

5. Quando singula vitae munera debito cum vigore procedunt, secundae valetudinis sensus singulari quadam animae libertate et irrestricta potestate in gubernando corpore se insinuat. Perturbato autem processus vitalis aequilibrio, et mutato singularum functionum vigore, sensus aegritudinis suscitatur, qui pro ratione partium adfectarum, pro gradu adfectionis et morbi natura varius est, non tamen semper morbi intentioni respondet.

6. Ubi materiae organicae seu potius nervorum in ea diffusorum forma, mistio aut vires sic convertuntur, ut mechanica, chemica vel dynamica mutatio sit gravior, nec sufferri illico per vitalem processum possit,

doloris sensus concitatur, qui intentione et modo pro varia partium laesarum et causarum laedentium indole, et pro individualis constitutionis ratione differt. Non tamen distincta adeo semper est doloris perceptio, ut causam et locum adfectum rite annunciet. Transitus autem sensus corporei in eum statum, quo existentia nostra securior nobis apparet, voluptatis sensum excitat. Commotis denique ad certum gradum nonnullarum partium nervis, titillationis sensus oboritur.

Reguntur quidem functiones, quae propagandam speciem pro scopo habent, in brutis animalibus solo fere instinctu, aliter vero res se habet in homine rationali et moribus exculto. Hic enim impulsus libidinis, quo natura quaevis animantia ad negotium generationis provocat, morum regulis subjicitur nec adeo imperiosus est, ut refrenari libero voluntatis usu non possit, quin imo et ipse sexualis amor, obscuro corporeo sensu primitus suscitatus, altioribus perceptionibus jungitur, eoque provehitur, ut adfectus psychicus praevaleat. Cum autem partium genitalium evolutio, virium abundantium explicatio, humorum genitalium secretio et quaevis munera sexualia per reproductivam energiam gubernentur, sensus corporei relatio ad vitae propagativae officia facile intelligitur.

Instinctus ad cibum — qui quando secundum naturalem satietatis sensum et cibis vitae individuali convenientibus exstinguitur, vires aequali modo semper exercens, nec plus nec minus illis addendo, vitam incolumem quam maxime servat. Ubicunque autem sancta naturae vox negligitur, causa sufficiens datur morbis ab hacce oeconomiae animalis parte dependentibus. Sanus et felix ut hac ratione homo vivat, ad nutrimentorum qualitatem et quantitatem respicere debet.

Homo omnivorus certo est, quod quidem experientia ostendit et partium conformatio. Etenim nationes cultae mixto utuntur cibo, et dantur populi, qui ho-

diedum adhuc solis vegetabilibus vescuntur; sic Mauri nomades solo Gummi senegalico, Kamtsatkae et aliorum littorum accolae piscibus, alii meris carnibus, Samojedi et Esquimotae demum crudis carnibus utuntur; quid quod Otomaci, aliorum alimentorum defectu, per plures saepe menses sola terra argilacea pinguicula vivant.

Partium fabrica humani generis hanc praerogativam porro evincit, ut videas hominem medium tenere inter carnivora et herbivora animalia. Habet enim dentes mixtos utrique animalium classi proprios; gerit mandibulam in omnem partem mobilem; gaudet ventriculo medii roboris et tubo intestinali, qui mediam amplitudinem et longitudinem habet inter carnivoras et herbivoras bestias; denique linea perpendicularis ea ratione ducta, ut utrumque meatum auditorium permedium secet, encephalum hominis in partes duas aequales dividit, cum in brutis Zoophagis major ejus pars post eam lineam, in phytophagis vero ante illam cadit.

Qualitas ciborum. Nutriens in cibis ita eminet qualitas, prouti illi mixtioni materiae organicae nostrae similiores sunt; prouti dissimiliores, eadem recedit. Validius nutriunt carnes ac vegetabilia; ex his, in queis abundat principium phlogisticum (hydrogenium, azotum); debilius, prouti hoc deficit et carbonium exsuperat aut oxygenium. Vegetabilia carbonio et oxygenio referta in principiis, quibus nutriunt, recondunt mucosaccharum, albumen, amylum, gluten, oleum; animalia albumen, gelatinam, pinguedinem, fibram. Amica sunt haec principia sanitati hominis, dum mixta petuntur; sinsecus — ni consuetudo naturam domet — inimica. Diversa privis inest vis nutriens principiis. Mucosaccharo nec copiam sufficientem nutrimenti impertivit natura, nec aequam satis indolem; qui ergo mortalium iis unice vescerentur, materiae et virium praepetem jacturam,

dispendium, solutionem experirentur. Caetera vegetabilium principia nutrientia et animalium pinguedo et albumen pro se genesi materiae organicae humilis favent: infarciunt corpus muco, vermibus, adipe, sero, textu cellulari, remorantur sanguificationem, carnis productionem, thermogenesim, et virium caducarum diversas perficiunt formas. Exquisite nutritioni inserviens caro animalis, majorem ac fas construit molem sanguinis phlogistici, solicitat respirationem, circulationem, thermogenesim; et congestionibus, profluviis cruentis, inflammationibus et posthuma cita consumtione praecipitat vitam in insidias.

Mucosaccharo in plantis culinaribus alia consuetim copulata visuntur principia, quibus nutriendi in iis aut crescit aut decrescit facultas, veluti aqua, acida, alcalia, sales, principium acre, olea aetherea, et quae ante dicta fuere.

Acidis vegetabilibus quaedam plantae et fructus scatent horraei, quibus nimia sanguinis phlogistici expansio, aestus, sitis, bilis moles, nutritio coërcentur; se- et excretiones fluxiores redduntur. Prouti vitae fervori temperando operam navant, nocent macie, cachexia languidis, acido primarum viarum laborantibus in flatus, tormina, diarrhoeam dispositis. — Olera et herbae nec non radices dulces, vehentes sales, acida, ut alcalia, parco albumine, muco et saccharo vitae hominum favent, vel ut ciborum condimenta receptivitatem pro carnibus augent, vel ut potentiae excessum nutritionis, in quem victus nititur animalis, temperantes sumuntur. Pro se abdomini et ope hujus omni vitae humanae varia ratione insidiantur. Vis in vegetabilibus crescit nutriens, accedentibus principiis nutrientibus prioribus, amylo (prouti in radicibus farinosis); his oleo pingui (in seminibus oleosis), illis materia vegeto-animali (in leguminibus). Integra et virilis si vita est, et labor virium dispendium parit, juste digeruntur; sin secus, gravatur

iis venter, infarciuntur intestina et glandulae, generatur cacochymia.

Per omnem orbem terrarum genus nostrum cerealibus vescitur, quae principiis peregrinis plurimum destituta, muco et saccharo, amylo et glutine vitam alunt. Minus cedunt cocta, quae fermentationem non subiere, quam illa subacta, minus, in queis gluten et amylum deficit, quibus haud bene concoctis ventris mala numerosa provocantur. — Animalem plurimum adrogant naturam fungi esculenti, digestioni ardue cedentes, largiter nutrientes, ob indolem venenatam passim suspecti, quibus incuriis vesci nefas.

Adfinis plurimum materiae nostrae petitur cibus ex animalibus, structurae nostrae plurimum comparibus, nobilissimas classes animalium explentibus. Minuitur magis magisve haec adfinitas, prouti in humiliores divergunt classes. Haud obedientior viribus adsimilatricibus est cibus carne mammalium. Ne tamen caducam largiatur materiam, mixta cum vegetabilibus edatur; quod si secus fit, sanguinem componit super abundantem, molitur plethoram, congestiones, inflammationes, febres, animum ferocem et infirmam secundarie valetudinem, per astheniam indirectam et praematuram tristemve senectam. Citius luunt has poenas, qui carnibus mammalium et avium ferarum vescuntur, quorum sanguis phlogosi luxuriat. Animalium domesticorum caro adsimilata nec tam cito fastigat, nec ita ociter solvitur. Saginatorum vero facile infarcit et onerat ventrem, colluviem provocat rancidam, nutritionem tandem imperfectam, cacochymiam. Neque non constat, tenellas carnes gelatina divites infantibus delicatulis et morbidis praeferendas esse carni mammalium senio confectorum, stricta fibra et rugis dentes fatiganti aut et colluvie materierum morbosarum valetudinem laedenti. — Si ventrem et gulam divitiae secundant, natura in omnia nimis proclivis vitia, alimenta prorsus alia ad-

petit, quae vel frigida indole vires nostras adfligunt (amphibia, pisces, cancri, ostreae) vel albumine coagulato (helices, conchae) tubum alimentarem praepotenter exercent, indigestionisque graves excitant passiones. Quibus omnibus eo acerbius sanitas vexatur, si ab insuetis exotica macerata, putrida, voraci ventriculo subministrentur. Infantes, juvenculi, senes, delicatuli et femellae, vitae psychicae studiosi, fortioribus stimulis inadsueti, vel eos ob intemperiem virium non ferentes salubriter utuntur ovis et lacte. Ova, quae gallina femina domestica excludit, qua recentissima facilis sunt digestionis et cito atque abunde vires restaurant, quod idem valet de ovis modice coctis, tantillo salis addito sorbillando aut in aqua vel jusculo soluta hauriantur. Reliquae praeparationes ovorum digestioni magis resistunt. Vitellus ovi praecipuam nutriendi facultatem possidet, a quo plura ciborum genera originem trahunt, inter quae memoratu dignum est jus vinosum, quod fit, dum vitellus ovi cum vino et saccharo subactus coquitur; nutriendi, calefaciendi et sudorem pellendi facultate donatum est. Ova in coagulum cocta aegre digeruntur, dum laboriosis et fortioribus praebent nutrimentum. — Cibus unius ordinis consuetim cibo alius ordinis conditur; iis vero sapor, odor, color varia ratione modificantur. Haec vero condimenta simul nutrimenta sunt. Nobis vero condimenta ciborum audiunt, quibus aut receptivitas ventris pro esculentis variis augetur, uti sunt aromata fumus; vel digestio facilitatur, uti sunt: sales, culinares, acida, acria. — Consuetudo edocuit homines, vesanam cupidinem multifariorum ciborum male ferre stomachum, facileque taedium digestionis parere. Miscuerunt ergo aromatibus, quibus ventris labem aliquandiu subfulcivere. Haec autem utut digestionem acuant, sensationem nunquam non exstimulant, sanguinem inflammant,

functionum hypersthenìae favent, et suis quaevis modis praepotenter vires omnes demoliendo sanitatem substruunt. Caro suilla, farcimina et quaeque pinguia sunt et potentius digestioni resistunt, ut subigi queant, fumo condiuntur, ita aliquantulum densatae et siccatae viribus digestricibus magis cedunt, excitato insimul stomacho acore fumi, iis tamen deletur receptivitas pro mitioribus nutrimentis, simplicibus, perversaque provocatur in Bacchum inclinatio. Quam autem operam respectu oeconomiae animalis navant sales culinares, facile in perperam abit; si tanta devorentur copia, quanta nefas: ubi praepropere concidente digestione, humorum acrimoniae gignuntur.

Callidum autem genus nostrum veluti propriam sic et indocilem aliorum entium naturam domando consumit vitam. Neve insatiabilis ventris cupido peregrina mole rerum prematur, carnes reptilium, crustaceorum, piscium fluviatilium et maritimorum, concharum vermiumque copioso sale condit, quibus acriter vellicato ventre, destructa, soluta et saepe putris exoticarum rerum indoles non persentitur. Similibus tamen vectitantes in naturam caducam peccamus, plus enim his siti, quam fami consulitur. Plusve virium et materiae infert cladis indomabilis stimulus salium et spirituosorum, quam attulit emolumenti parcum, quod addidere nutrimentum. Tantopere enim nec cancrorum, nec helicum bene ferens nostratum carnes natura, marium et fluviorum dissitorum plus aversatur incolas, ut protinus saepe febribus et exanthematibus subfundatur, veluti minimum degustaverit. Uti nec Kalia unquam suam exuunt indolem, licet actioni digestrici succumbant, si cum iis cibi corriguntur, sic nec acida, nec acria et quibuscumque aliis rebus mitis percellatur natura, eoque vehementius, quo exquisitius individualis haec condimenta recusat aetas, constitutio, sexus, vitae ratio, climatis, anni temporumve singulare dominium.

Butyrum recens non rancidum digestionis est facilis et valide ac tuto nutrit. Caseus butyrum simul retinens non parum nutrimenti concedit, sed validam digestionem requirit, cui eo magis resistit, quo magis induratus est.

Lac integrum egregie nutrit, e quocunque animalium genere nobis usitato desumatur, principiis nutritiis dives, digestu et adsimilatu facile reproductionem absque stimulo luculento sustinet, reactionem alacriorem temperat; infanti recens nato solum sufficiens praebet nutrimentum, hominibus sanis salutarem cibum et aegris quam plurimis egregium remedium largitur.

Quantitas ciborum. Homo nutrimentum capere toties potest, quoties esurit, et tantum semper illorum, quantum ad famem delendam sufficit. Lex igitur hic sancta naturae vox et optimum remedium illi obediendi erit exercitium, sensum famis a sensu satietatis distinguere, ut innumera mala evitet, quae voracitatem sequuntur. Capiat igitur homo cibum et repetat escam,. quoties fames urget, et ea ciborum quantitate fruatur, quae sufficit, ut saturatum sese sentiat. Interim tamen homo semper cavere debet, ne nimium ventriculum majori ciborum mole obruat, sed semper temperantia servanda est. Vesperi ante decubitum parum aut nil comedere perstat, experientia virorum sanam et longaevam vitam ducentium testatur. Qui sanitati suae conservandae consulere cupit, et quo cibi simpliciores fuerint, eo semper pro sanitate tuenda melius erit. Santorius enim ait, Lib. 2. aph. 3. „Si sciveris quotidie, quantum cibi tibi conveniat, scias vitam diutissime servare.“ Cibos omnes, quos ore adsumimus, lente masticare oportet.

Instinctus ad potum, qui, secundum naturae leges si expletur, aquam modice frigidam hauriendo, vires vi-

tales reficit, fluida deperdita resarcit et sic ad metamorphosim organicam utplurimum confert. — Latex in terrae sinu circulans, almam matrem foecundans, vivificans ignem et aërem aqua est, omnium mortalium entium unicus potus naturalis et hominis indubie saluberrimus. Cum quae e scaturiginibus salit limpida et frigida, simul tenuissima est, aëre et acido carbonico referta et sanitati amicissima, nisi mole obruat humoresve nimiopere diluat, aut defectu vires exhauriat, aut fervidum corpus frigore nimio obfendat. Nec multo pejor aqua ex puteis multum frequentatis in sinu terrae filtrata putetur, quam vero pluviae, imbres, nives, ros largiuntur, aut quae destillata, quamvis mollis, orba äëre et acido carbonico, haud sufficienter recreat; quae vero per cisternas metallicas traductae fuere, aut in puteis, lacubus, paludibus, fluviis stagnavere, crassae et olidae existimentur. Recipiunt aquae diversas res, quibus jam praedurae, jam praemolles, graves aut leves evadunt sanis; aut virtutem et nomen soteriarum sibi adjudicant. Puteales et fluviorum impregnatae saepe calce, gypso, natro, magnesia, salibusve terrarum et alcalium, acidis, materia extractiva, ferro, oxydo mangani, prouti fissurae montium, in quas penetravere, aut strata, in quae impegere constituta fuere, rivi etiam saxa recipere animadvertebantur. Harum rerum alcalica, acida, salina etc. indoles facile etiam inquilinis impertitur humoribus segnisve evadit lympha et sanguis solutus, aut et stricta et sicca materia prouti principia exsiccantia praevalent.

Olidae et crassae aquae paludum terrae quam continuo allambunt, sontica squalent qualitate, recondentes resolutorum vegetabilium et animalium putrem materiam, quin imo urente sole aestivali et ipsae putrescunt: hinc haud unquam noxiae vis expertes sunt, et indomita et morbifera facultate ventrem et vires diversis viis exonerant. — Latex aequoris amarus est, nec unquam ejus

pondus et mixtionem impune fert ventriculus; praeterquam quod sale scateat culinari, muriatica et sulphurica magnesia, uti et calce sulphurica saturata est, queis salsa evadit invertens stomachum. — Praepotentes sunt quaedam aquae in contenta ventris expellenda, humores solvendos et refrigerandos, in reddendam materiam organicam imbecillem et caducam, copioso sale amaro, salibus aliis sulphuricis, muriaticis, carbonicis, neutris, alcalinis et acidis, quarum usus, prouti obstructis et duro et sicco ventre praeditis convenit, nocet solutis, laxis et ex languore in dispepsiam pronis, tenellis et senibus omnibusve coeli frigida temperie non favente. — Mulciuntur vero tenellae, quemadmodum et senio consumtae vires utplurimum lacte, non tamen — qui fortioribus adsueti potibus et nutrimentis lac subigere queunt; in illis quippe insufficiens lactis stimulus indigestionem et acidam colluviem parit. Quod idem de emulsionibus oleosis et mucilaginosis censendum. — Divinitus homini concessum vinum est, recreans senes, curis, studiis, laboribus et morbis jactatos: qui tamen id praestat vini spiritus, ita sacer sit vegetis, ne in detrimentum vitae suae eo consuetim utantur, utpote quorum praecipitando valetudinem corpus et animum depascitur tremore potatorum, gutta rosacea, vel pallore insolito distinguens eos inter omnes concives. Praeter spiritum autem, qui in vino reconditur, tanninum, materia tingens et quod principium extractivum dicitur, nec non tartarus et mucosaccharum et in recentibus praevalens acidum, ut utilitas aut noxa ejus pateat, computentur: prouti enim horum principiorum priora praevalent, laxis et solutis, sin secus potius obstipatis et strictis conveniet. Nec quem fugit antiqua vina, quae natura curate clarificaverat et filtraverat in seriem eminenter desciscere pharmacorum et jucundius quidem quam caetera quaecunque inebriare sensus, posthumam tamen tristem morositatem et debilitatem indirectam nec his

arceri. — Ingeniosa et sagax nimis instruendis sibi insidiis mens humana mustum decoquit, absinthio et aromatibus condit, vina ex passulis destillat, cohobat, ut si robori corporis fausta nativitas, florida aetas, sors fortunata et vicissitudines naturae pepercere, ipse implacabilis et immisericors in propriam saeviat vitam et mirae constitutionis suae demoliatur ornamenta. — Cereris vinum ex malthi decocto venit, non insalubre integris, laboriosis, vigentibus ventre, et quorum vires morbi fregerant; facile molestum retractis, sedentibus, torpidis, fatigio in aprico haud indulgentibus. Praeterquam quod ceria, quae non satis fermentaverat, acido suo carbonico digestioni et uropoësi inimica sit, condimentis suis ex serie amarorum, acrium et narcoticorum et malthi stimulo et acore cladem infert ventri, renibus, potentiae masculae, sensationemque varia ratione jactat. — Saepius autem homo bibit, ut vires vitales deperditas citius restaurare valeat aut penitus illas extollere possit. Optima autem via finem huncce adsequendi, cibi, potus, inspiratio äëris puri et quies sunt. Quum autem insatiabilis homo vires suas nonnunquam ultra fines naturales intendere desiderat, minime lentam ast securam vitae actionem exspectans, ad spirituosa confugit. Hac ratione fallaci tantummodo vires excitantur, quum spirituosa vitae elementa subtiliora, nequaquam rudiora resarciunt, sicque actio vitalis quidem incitatur, ast organisatio debilitatur et plane destruitur. Natura hominem minime ad spirituosa haurienda monet, nam animalia aeque ac infantuli illa abhorrent. Spirituosa eo plus homini nocent, quo magis de alcohole continent, et quo saepius bibuntur, inter quae sic dicti liquores et crematum eminent. Effectus primi alcoholis in organismum sunt: respiratio et circulus fortior et celerior, calor adauctus, sensus, musculorum actio et motus vividiores, vita in genere admodum exaltata, ut facilis inde sit in morbum transitus. —

Nihil certe magis hominum favet degenerationi, quam spirituosorum abusus, quod nec nutrit, nec sitim fallit, sed vitam praecipitat, et illius finem accelerat, viscera abdomialia et pectoris destruit, senectutem praematuram provocat, et mentis lucem obscurat, animum in vilissima dejiciens pathemata, hominem humana exuit dignitate, ita ut magis pecori quam homini similis evadat. Vitium ebrietatis itaque turpius et generi humano perniciosius vix cogitari potest, nam mala inde innumerabilia, in vitam moralem et physicam redundantia, familiae, societati, et patriae summe perniciosa non evadere non possunt.

Dum homo quaerit potum, qui actionem vitalem, nimis incitatam temperat, eum optimum in succis vegetabilium invenit, e. g. in succo citri, aurantii, ribesiorum aliisque pluribus. Qui potus, si recto tempore adsumitur e. g. corpore a sidere ardente, sudoribus diffluente, impetum actionis vitalis nimium successive infringendo, ad sanitatis conservationem contribuit et multo tutior est, quam frigidae aquae, in eundem scopum usus; quae corpore sudante hausta, pulmonibus et ventriculo nimium calorem subtrahit, et subitaneam in organisatione mutationem inducit, qua multorum morborum fundamentum ponitur. —

Uti omnia, quae in rerum natura prostant, in salutem illorum producta sunt, qui iis recte uti noverunt; sic etiam coffea, quam lacte temperatam, tenellorum, debilium, erethisticorum nervos leniter mulcere constat, juvareque digestionem et nutritionem, infantibus autem fortibus, cholericis, in congestiones et profluvia pronis praepotens est stimulus, quae autem vegetabilia Coffeae subrogantur, passim praepropere textum organicum contrahunt. — Excessus in usu theae blennorrhoeas producere visus est. Haud ambigitur ita curiose ac cum Coffea, etiam thea utendum esse, qua si homines abutantur, praemature tremula membra, sensus halluci-

nantes ob exhaustum systema nervosum obfuere. Satis mitem, stimulo levissimo praeditum, familiarem languentibus et macilentis contento amylo exhibet potum pulvis cacao aqua aut lacte decoctus, exaestuat tamen sanguinem, si aromatibus et fragrantibus variis rebus gravis obcurrat. —

Instinctus vitam conservandi, omnibus mundi entibus innatus, vitam individualem quousque diurnam desiderat. Adsequitur autem homo huncce scopum, quando ubique legibus naturae convenienter vivit, quod solummodo mens sana in corpore sano potest; sententia, qua ipsa regula statuitur, quam consequi homo debet. Homo igitur, qui vitam sine gravi ratione periculis exponit, aeque damnandus, ac homo delicatulus, qui saepius mala bonis explenda habens avide cupit et servat sicque inscius malo nonnunquam malum addit insciusque vitam abbreviat. Et uti vitium grave vitam parum aestimandi e nimia virium aestimatione procedens, ita et propensio ad autochiriam commiseranda, quae praecipue in hominibus occurrit, qui voluptatibus exhausti, peccato anxii, taedio vitae aut desperatione corripiuntur.

Instinctus defensionis — qui naturaliter oritur, dum individuum aliquod in privilegiis a natura sibi donatis aut in actionibus e voluntate liberis vi quadam externa offenditur. Instinctus jam altioris ordinis, quo homo locum, quem in terra occupat, individualitatis suae incolumitatem servare studet. Ut autem hac parte felix homo sit, respiciat aequabilem et repetitum musculorum omnium et non unius solummodo lateris exercitium, prudentem sensuum, mentis rationisque evolutionem et acumen videatque, ne phantasia nimis exstimuletur factis mirabundis aut cantatis enthusiasticis; nam facile effrenis oritur animi cupido vim physicam exercendi, pericula optandi, pugnam cum spectris et monstris desiderandi, omnia destruendi, animalia hominesque trucidandi, nisus, qui nonnunquam aetate puerili evigilat,

per vitam non delendus. Hic status minus quidem corpori inimicus, tanto magis psychen adgreditur, hyperphantasiam, vesaniam, maniam etc. producens, mentem sensu practico privans sibi aliisque damnum inferens maximum. Sunt et alii delicatuli, timidi, viribus suis minime fidentes, ubi virium physicarum exercitium negligebatur aut quibus spectris prima juventute timor impulsus erat. Minus eminenter etiam in corpus agit, ast timiditatem eximiam voluntatisque segnitiem majorem efficiens talesque homines ad perficienda strenua robore et constantia indigentia ineptos reddit. Necesse ergo est, ut omnes vires physicae et mentales aequali et prudenti ratione evolvantur, conserventur et dirigantur, si bonos inde effectus in salutem et felicitatem humanam exspectamus.

Nisus generandi. — Amor quoad speciem directus, primo pubertatis initio per obscurum voluptatis sensum sese annuncians, in homine minime tam materialiter considerari potest, uti actus generationis in animalibus, ubi mere qua solutio partis alicujus individui eodem vitae specialis charactere donatae haberi fere nil obstat. Ast homo non solummodo hocce vitae nisu gaudet, ut sibi similia quoad rationes somaticas et instinctus inferiores producat, sed ut et vita idealis ad speciem transeat et rationis evolutione ostendat individuum ad hominum genus pertinere. Quare una eademque columna vita genetrix et idealis tractari deberet, praecipue cum eadem fere vitae periodo emergunt, sed ad faciliorem intuitum utramque sejungimus, cum nisu generandi incipiendo, qui sese manifestat per instinctum ad concumbendum, cui, si secundum praefixas naturae leges satisfit, validum vitae stimulum addit, concentum debitum inter vitam organicam et sensiferam servat, summumque in vitae humanae salutem et felicitatem influxum habet, praecipue, quum ex eo tam gravia mala somatica, turbationes psychi-

cae et depravationes characteris moralis proveniunt; nam hic meta est, ubi via ad scelus, ad felicitatem altera ducit. Sed quando et quoties homo concubitum celebrare potest, ut salus inde et felicitas hominis non turbetur? Definiri vires hominis vix possunt, nec determinari, quoties Venus intra certum tempus sine manifesta virium jactura exerceri valeat, siquidem id a varia spermatis copia in variis hominibus varia, a diversa aetate et constitutione individua et fere etiam a consuetudine dependeat. Docent naturae scrutatorum observationes, hominem tum spermatis copia, tum coëundi vi a pluribus superari animalibus. Aestimant vero humoris genitalis copiam, quae uno amplexu excernitur ad drachmas duas. Major tamen erit copia in homine magis casto et minor in iis, qui frequentius Veneri litant, aut qui diu admodum abstinent, nec omne semen, quod in vesiculis haeret, uno coitu excernitur. Ceterum constat observatione, hominem sanum et vegetae aetatis post intervallum trium aut quatuor dierum coitum iterare sine manifesta virium jactura posse. — Quantus sit secreti genitalis humoris in corpus universum influxus, phaenomena ostendunt pubertatis: augentur vires musculares et partes corporis graciles hactenus torosae redduntur, explicantur lineamenta faciei et adquirit vultus, femineo hucusque similis, habitum virilem, ornatur facies barba, prorumpunt pili in pube et infra axillas, et vertitur sensim lanugo, alias obsidens partes in pilos, vox adusque gracilis gravis redditur, denique intenduntur mentis facultates, animus hactenus puerilis gravis fit, ad serias res inclinans et honoris evigilat studium. Hae autem mutationes a secretione nova et insueta et a particulis spermatis volatilibus omne corpus penetrantibus, repeti praecipue debent. Etenim juvenes ante pubertatis tempus castrati, imberbes manent, debiles, corpore et animo feminis pene similes, nec pili in pube prorumpunt. Eunuchi vo-

cem habent gracilem estque omnis corporis habitus in iis, qui fere spadones sunt, aut penitus impotentes, debilis et animus pusillus. Raro eunuchi altiorem mentis facultatum perfectionem attingunt, ita ut inter eos solus Photius doctus fuisse legatur *). Idem observatur in brutis animalibus. Taurus animal ferocissimum testium ablatione in mitissimum et patientissimum bovem mutatur, et advertimus idem in equo eunucho. Incrementum etiam universi corporis testium ablatione deprimitur et augetur ex deminuto reproductivo processu pinguedinis secretio. Capo vocem amittit et cantum, quo gallus gallinaceus excellit, inque femineam mollitiem degenerat. Cervus mas, cum pubescit cornua protundit, quotannis mutanda; si vero ante pubertatis tempus testes fuerint ablati, ut Aristoteles jam advertit, nulla unquam prodeunt cornua; si autem post eruptionem horum castretur, cornua perpetua manent, nec unquam decidunt. Voluere haec phoenomena olim ab aucta alcalescente sanguinis indole repetere, dum recentiores hydrogenium abundare, perque seminis secretionem eas particulas, quibus pili et cornua componantur et systema nervosum concitetur, intra corpus cumulari docent. Nostra tamen opinione peculiares mutationes, quae nova hac vitae periodo accidunt, a plastica spermatis vi et animante ejus virtute, qua systema nerveum quasvis corporis et animae functiones ceteroquin gubernans concitatur, repeti debent. Inde igitur est, quod nihil magis corporis et animae vires prosternat, quam nimia nobilissimi humoris profusio, contabescere corpus, mentis facultates prosterni et effeminari videas animum in juvenibus praematura venere, et infelici ejus incitamento exhaustis. — Quanta sit imaginationis vis in veneris cupidinem, lascivis cogitationibus et otio auctam, partium verendarum con-

---

*) Essai sur les moeurs.

tactu vel conspectu incitatam, notum est. Aetas legitima, climatis influxus, cibi multum nutrientes, moderatus corporis motus, puritas aëris, animus tranquillus, curis vacuus, omnia nutritioni generatim faventia, certi cibi, nec minus vitam sensiferam incitantia, summam habent potestatem in spermatis secretionem. Amore seminis generationem accelerari, ut adeo in familiari, casta tamen, cum femina concupita conversatione testes ipsi cum vasis deferentibus non raro turgeant, doleant, et tumore nonnunquam molesto adficiantur, frequens docet observatio. — Vasa lymphatica copiosa, a vesiculis seminalibus atque testibus emergentia, sperma secretum pro aliqua sui parte resorbent, inque massam sanguinis reducunt, unde humor idem longiori tempore in vesiculis adservatus majorem accipit spissitudinem. Magni autem momenti ea est resorptio a physiologis nonnullis disputata. Dicunt quippe semen resorberi dubitantes reditum genitalis humoris in sanguinem intempestivum veneris stimulum mitigare non posse, verum potius fore, ut causam constituat effrenatae et fere rapidae libidinis, et homini eam peculiarem concessam esse praerogativam, ut pollutione nocturna, tanquam naturali excretione a cumulato semine liberetur. Licet concedamus, igniculos venereos a resorpto semine in corpore universo non exstingui, verum augeri potius, localis tamen partium genitalium irritatio ea resorptione mitigatur. Debet praeterea humor genitalis in sanguinis massam delatus, indolem suam mutare, adsimilari, et aliis oeconomiae animalis usibus impendi, ut adeo tanquam merum veneris incitamentum per corpus grassari haud possit. Nec ea ferocia et rabida libido, quae in brutis animalibus, statutis anni temporibus in venerem ruentibus, observatur, si vel organica spectetur causa, in homine obtinere potest, siquidem hic sperma continuo secernatur et adsuetudinis vis relativam minuat stimuli vim. Pollutiones nocturnae vero ad

normales evacuationes referri haud possunt, siquidem in sanis et robustis hominibus nunquam, aut tunc saltem accidant, ubi diurna conversatio ideas lubricas in somniis recurrentes menti impresserat. Debiles vero et venere exhausti juvenes, adeoque humore genitali minime abundantes, pollutioni, quam pro morbosa habeas apparitione, plurimum sunt obnoxii, suntque pollutiones morbosae debilitatorum genitalium indicia, quae phantasiae turpi cupidine, laxitate musculorum et sphincteris vesicae seminalis irritamentis aut sensilitate nimiis suscitantur aut foventur. — Sunt autem argumenta gravia, seminis resorptionem probantia. Huc referri ea debent, quae de mutationibus pubertatis tempore accidentibus, deque iis, quae in spadonibus et in animalibus castratis observabantur, retulimus. Constat praeterea, homines certo dari, qui longum tempus, aut tota etiam vita a venere abstinent, nec unquam pollutiones patiuntur. Etsi igitur in his multo minus de spermate secerni credamus, quam in illis, qui veneri indulgent, quorumque testes minimum drachmam unam intra septem dies humoris parare possunt: minime tamen sufficient vasa seminalia, copiam ejus lacticis, quae intra plures menses vel annos secernitur, capere. Caro dein animalium, venere diu abstinentium, adeo foetet, ut in cibum adhiberi vix possit, et amittunt bestiae hircinum eum odorem testibus resectis. A resorpto vero eo humore corporis et animae intendi vires, casti ostendunt juvenes, corpore et animo valentes, suntque morbi caelibum, ut Baglivius et alii observarunt medici, majori cum energia conjuncti, quam conjugatorum. Contraria autem observantur in hominibus praematura venere exhaustis, corpore et animo languentibus. — Quoniam autem hocce vitae nisu summa vitae intentio producitur, etiam ille, qui praefixos in hoc munere fines transgreditur, vitae fontem in intimis suis penetralibus turbat et exhaurit. In nulla

igitur voluptate tam purus et verus necessitatis sensus requiritur, quam in hac ipsa, ubi homo culturae subtilioris humili sensilitate ductus et phantasia luxuriante incitatus, nil nisi voluptatem venatur, causam primariam omnium virium decrementi. Nullum, quod existit, aliis existentiam praebere potest, priusquam non ipsum evolutum sit et tunc demum nisus generandi evigilat, peracta autem hacce vitae functione senescit et moritur. Quo diutius incrementum ad maturitatem usque protrahitur, eo majorem etiam aetatem ens aliquod nanciscitur, quum autem homo sit ens perfectissimum, etiam longiori temporis spatio necesse est, donec perfecte evolutus sit. Quotiescunque autem illa conformatio organorum perfecta ponitur, tunc virium abundantia ad organorum sexualium evolutiouem impenditur, quae et tunc demum functionem suam explere possunt, dummodo ipsa perfecte evoluta sint. Quando autem adolescens et virgo sanitate turgent, mensque serena illis inest, tunc vitae gaudiis frui cum moderamine licet. Ille duntaxat delectari debet amoris deliciis, qui firma gaudet sanitate, qui et in strenuis muneribus, spirituosis aut aromaticis minime incitatus saepius et constanter a natura monetur. Sequelas porro respiciat, an levitatem et hilaritatem animi sentiat nullamque defatigationem aut visibilem faciei mutationem. Qui autem post amplexum languidus est, rixosus, morosus, qui dolorem obscurum in lumbis, tremores manuum sentit, ubi appetitus imminuitur, flatulentia molestat, facies mutatur, pallida fit, oculi retrahuntur annulo cincti caeruleo, ibi virium dispendium nimium erat noxiumque saluti. Graviter autem peccant, qui vires suas spirituosis et aromaticis exstimulant, impotentiam et nonnunquam subitaneam mortem inducentes. Ulterius, qui cogitando mentem intendit, summam temperantiam in hocce vitae negotio observare debet, quum cogitando et concumbendo nervorum dispenditur vis. Idem valet de iis, qui labo-

ribus, inopia, tristitia etc. detinentur. Praecipue autem seniculi nisui eatenus jam decrescenti moderentur, maxime si mortem praecocem et omnes senii miserias praecavere cupiunt, nam quisque voluptate nimia mutu-re seniculus evadere potest. Innumera et horrenda sunt mala, e praematuro, nimio et perverso amplexu procedentia, nam si quid scelus vocari potest, illud voluptatis est, quo homo animalibus pejor habendus. Per exercitium praematurum, corporis incrementum retinetur, mens et sensus hebescunt, phantasia summopere lasciva, sensibilitas alienata, erethistica aut torpida fit. Musculi languescunt, oritur haemoptoë, phthisis, debilitas ventriculi, obstructio, diarrhoëa et juvenis jamjam senescit. Quod autem dammum exinde in posteritatem transeat, incompensabile est, nam miseri tenelli praemature hydrocephalo pereunt aut scrophulis marcescunt aut rhachitide torquentur, qui, si illis mors pepercit, debiles adolescunt cum mente stupida omnisque energiae expertes. Si voluptuarius nullum noscit finem, nervi inde debilitati hyppochondriam, melancholiam, vesaniam, epilepsiam causant et genitalia tam erethistica fiunt, ut semen sponte effluat jam sub mulieris adspectu, jam sub mictu et alvi excretione; puellae autem fluore albo et menstruis largis vexantur. In summo mali culmine febris hectica, calor versatilis, sudores debilitantes, diarrhoea, sensus formicationis in columna vertebrali et cachexia ingruit, tabis dorsalis sub nomine nota. Ast non solum corpus, sed et mens voluptate nimia summopere patitur, ita ut sensorium commune, et quidem ex antagonismo, graviter adficiatur, mens hebescit, animus timidus et irresolutus, character moralis titubans non ratione, sed animalium more sensualitate ad actiones ducitur, suntque illi praecipue heluones, immodici in edendo et bibendo praecipue spirituosorum. Ad munera strenua ineptus, fidem non servans, amorem verum ignorans, immodicus, fraudulentus, in miseriis so-

lummodo vivit. Causae vero voluptatis in diem crescentis sunt: Nimia populatio in urbibus majoribus, nam ubi multi homines, ibi pauca exempla mala non adsunt; — Generatio et educatio: Nam multis voluptatem innatam esse, experientia constat, uti de aliis malis scimus e.g. de phthisi pulmonali, quae a patre ad filium transit. Quid educatio hac ratione, respectu cibi, potus, phantasiam lasciviis exaltando etc. possit, nemini non notum, ita ut nimia genitalium calefactio vitetur, baculis non equitent pueri, non titillatione exagitentur infantuli, ut nauseosa non committatur osculatio, consuetudo mala, qua syphilis facile propagari potest. Ulterius praematura mentis evolutio nimia voluptatum cupiditas — sensuum et imaginationis incitatio, porro qua causa primaria evolutio moralis neglecta, seductio omnis generis, tandem et vestes. — Denique conjugium infelix, cujus causa saepe in ideis nimis exaltatis quaerenda, contra quod malum optimum remedium est, pro mundo et non pro phantasia vivere, hominem minime Deo aequiparando. — Conjugium coactum vario modo felicitatem hominis turbat, prouti aetas, sanitas, character moralis unius alteriusque differunt. Homines ergo matrimonium nonnisi ex vero et sincero mutuo amore absque ulla coactione utriusque personae parentum, non lucri ergo, prout hodie, proh dolor! magis in detrimentum, quam commodum familiae et generis humani contingit; inde illa dissidia daemone pejora, inde rixae et offendicula communiter provenire solent; sed ex vero et sincero amore mutuo contrahere debent, si felices beatique in hoc mundo vivere cupiunt. — Conjugium posteritatis expers plurimum saepe ad turbandam felicitatem confert, cujus culpam saepius neuter gerit et nonnunquam e malo procedit, quod solummodo prudens medicus tollere scit. Conjugium inaequale et quidem ratione aetatis, si seniculus virginom ad aedes ducit, aut vetula cum adoles-

centulo connubium init, status admodum dolendus, talis enim seniculus vires suas adhuc in organismo vigentes ante tempus consumit, proles, si quas generat, nec sanas, nec longaevas procreare potest, uxorem incontentam reddit, et sic sibi et uxori detrimentum parat, cupit quidem ab uxore sua amari, ast frustra amorem sibi sincerum, nisi simulativum, nunquam lucrabitur, sed uxorem suam aut in moerorem animi dejiciet, unde sequelae morborum uxoris variae fontem agnoscunt aut eam ad id deducet, ut marito suo, sive clanculum sive palam repudiato cum altera persona sibi amata vitam ducere cogatur, inde dissidia quam plurima exoriri solent, quae nec quietam, nec sanam vitam hoc in mundo ducere sinunt. Multo adhuc turpius est, si vetula edentula juveni homini matrimonio jungeretur, ex quo haud minores inamoenitatum sequelae oriri possunt. Quare parentibus summe invigilandum est, ut dum soboles suas matrimonio jungere intendunt, si vel minimam erga suos prognatos scintillam amoris parentilis habent, ne eas ad hanc vel illam personam ducendam cogant, ne suas proles turpis lucri gratia cum certa persona matrimonio jungere sinant, quin prius eas sincere examinare et earum verum amorem erga eam personam, quam ducturae proles forent, observarent, ni suas proles usque ad tumulum ante tempus in summum infelicitatis discrimen conjicere velint. — Conjugium respectu sanitatis infelix, cujus tristes effectus in sanitatem et moralitatem nuptorum, posteritatem et civitatem maximi sunt. Cuique, qui non penitus a morbo reconvaluit, qui lue venerea laborat, nuptiae interdicendae, major gradus debilitatis, cachexia, morbi nervosi, epilepsia, hysteria, hypochondria, ulcera, induratio mammarum, fluor albus, cancer, conjugium vetant. — Quod perversitatem nisui sexuali satisfaciendo adtinet, dicendo de onania, de Tribadum ludis, de sodomia etc. omnia haec scelera inferiorem animalibus hominem deprimunt et om-

nia supra notata mala citius et in majori gradu provocant, praecipue si perpendimus, quod ejusmodi scelus cerebrum et nervos praecipue adgrediatur, unde summa nervorum sensilitas, memoriae hebetudo, melancholia, hypochondria, autochiria oritur. — Quamvis autem secretum semen resorbeatur et in corporis ac virium incrementum insumatur, eaque resorptio simul sit praesidium, quo homo sine omni incommodo abstinere a venere possit; non tamen desunt exempla, ubi pertinax castitas in viris nauseam, tristitiam, melancholiam, vesaniam, maniam, encephalitidem suscitavit, praesertim illo casu, ubi gaudio amoris quisque jam fruebatur. Haec vero phaenomena morbosa resorptis potius, inque sanguinem delatis volatilibus seminis particulis, quam locali conceptaculorum distentioni tribuenda esse cel. Frank merito jure pronunciat. Constat etiam ex desuetudine et exercitatione nimia aliarum facultatum libidinis sensum stupore obrui.

Conjugium. Elapso effervescentiae hujus tempore, ubi phantasia nimis vaga experientia jam magis limitata et nisus generandi jam magis rationi saniori subjectus, aetate ergo virili, ubi pulchrum virium vitalium aequilibrium et formosa corporis conformatio et perfectio conspicitur, amore ad altioris dignitatis gradum advecto homo juxta naturae vias altiora desiderans vitae amoenitates et pericula solus non amplius perferre cupiens, suasque somaticas et psychicas virtutes ad alios transplantare exoptans, a natura ad speciem conservandam incitatus vir mulierem seligens, ad aedes conjugem ducit, et sic matrimonio celebrato amor pulcherrimo candore nitet, et revera lucis divinae radius nominari meretur. Principale igitur momentum atque totius tam praesentis, quam futuri hominis fundamentum est matrimonium seu illa naturalis et legitima copula inter marem et foeminam, bene valentes, nec non proportionata aetate praeditos, ex mutuo sincero amore con-

tracta vigens, quae copula homini recte valenti ad propagandum et conservandum genus humanum, jure naturae competens, ab ipso conditore universi praecepta et benedicta esse legitur. Hicce status est reapse naturalis, quum exempla omnia monstrant, unam vim sub dualismi forma in mundo adparere. Summopere conjugio felicitatem hominis poni experientia constat, homines quippe matrimonio juncti viventes vires somaticas magis conservant, et totius rationis usus ad certum potius finem dirigitur talique modo concentus virium humanarum pro felicitate vera tam necessarium tuetur. Spectatis dein omnium organorum in homine vigentium functionibus, atque ad vitam universam in corpore humano conservandam conspirantium, ipsa etiam copula inter marem et feminam legitima atque rationalis ad vitam sanam et longaevam ducendam quodammodo contribuere videtur, nam calculo instituto conformiter plures matrimonio junctos homines longiorem aetatem attigisse, quam caelibes repertum est. Interim tamen et homines caste viventes sanam atque longaevam vitam duxisse et attigisse non pauca exempla prostant. — Sed non solum ad vitae individualis, sed etiam posteritatis imo generis humani felicitatem connubium confert. Ut autem conjugium ad salutem et felicitatem centribuat, sequentia respicienda sunt: Aetas, et quidem masculae personae a 25—30 anno in temperato climate, feminae autem ab 18—20 optima aetas esse censetur, hac enim aetate organismus humanus perfectionis et evolutionis suae gradum attingit, quo functionibus organorum generationi destinatis, officio suo si his rationi conformiter utantur, absque conspicuo sanitatis et longaevitatis detrimento debite fungi queunt. Porro uterque non nimis juvenilis adhuc sit, nam proles inde provenientes saepissime scrophulosas fieri exempla docent, nec nimis aetate provecti, nam tales parentes debiles plerumque gignere liberos notum est. —

Sanitas, nam deperdita illa, hilaritas, pulchritudo, animus contentus disparet, et illius loco deformitas, tristitia et miseriae intrant. Sit ergo conjux respectu incrementi perfecte evolutus, color faciei vividus, oculus purus et vivax, capilli et barba eminens, thorax amplus, appetitus vigens, animus hilaris, vox virilis. Corpus vero tenerum, cutis mollis, candida, thorax planus, tussis, vox mutabilis animusque versatilis; oculi retracti cum annulo caeruleo, vitrei, color faciei pallidus, genae collapsae, anima foetens, sensilitas nimia erga calorem et frigus plus minus sanitatem turbatam indicant. Pari modo pinguedo nimia, caro spongiosa non valde commendant. — Sit virgo bene formata, capillos habeat multos et molles, cutim puram, genas florentes; sit animus hilaris, vox clara, sint turgidae mammae. Si vero has virtutes non possidet et sensibilis admodum et facile in syncopen incidit et convulsiones, tunc certe sanitas valde turbata, haud multum gaudii promittit.

Quoad psychen sit mens sana et firmus character moralis, sit vir cupidinis expers et virtute plenus, quod ex agendi et loquendi ratione facile agnoscitur. Abhorrebit puella voluptati deditum, bibonem, otiosum, heluonem, quod iterum non ardue dignosci potest. Tandem abhorrebit et vir puellam, nonnisi aliis placere cupientem, superbientem, mente pertinacem. Pessimum vero omnium malorum ecce aemulatio est, quae veneni adinstar lente agit, salutem et omnem felicitatem veram confundens. Ut autem juvenis et virgo talis et connubio ulterius felices esse possint, servent mores invicem affabiles, una parte desideria inopinate explendo, altera vero a rebus unicuique ingratis abstinendo. Servent porro conjuges quantum possibile sanitatem, robur, et pulchritudinem. Praecipuum etiam momentum est pudor et castitas morum et in hunc finem aurea veritas monet, ut conjuges separate dormiant.

Dantur et alia conjugii exempla, uti polygynia, polyandria, quae vero ad veram hominis salutem et felicitatem non conferunt, nam ubicunque in natura vires confligunt unionem adnitentes, invicem sese exhauriunt et nonnisi tali ratione aliquid perfectum procreant. Homini vero non solum somaticae virtutes, sed et psychicae insunt, ita ut quodammodo exaequatio virium pene impossibilis sit.

Polygynia est talis conjugii species, qua vir unus cum mulieribus pluribus connubium init, status minime naturalis, utut apud nonnullas gentes more animalium nonnullorum occurrat; minime dicendo, quod natura quasi ductus vir, unam prae aliis diligat, quod rudem characterem animalem referat, quod inde facilius a norma recedat vivendi genus, quod vires physicae et psychicae magis dispescantur, quod tristitia, moeror ingruat, invidia, aemulatio exsurgat, quod amor et educationis munus non aequabiliter supra posteros diffundi possit. A parte somatica considerando virium celeriori exhaustioni et corporis debilitati ansam largitur, a psychica autem non altiorem rationis culturam defendere sinit, taedium citius ingruens inducit hominemque semper plus minus ad vitam inferiorem animalem deprimit, pulcherrimumque vitae actum ad humile voluptatis inferioris genus repellit.

Polyandria est conjugii species, ubi una mulier cum pluribus viris connubium init, exemplum, quod quidem quasi regula in plantis, sed longe alia ex ratione, rarissime inter populos occurrit penitusque naturae contrarium esse videtur, nam una eademque vis unius ejusdemque characteris pluribus viribus ejusdem speciei sufficere et aequilibrium servare non potest, haud praetergressis sequentibus: summa inde mala somatica et psychica oriri posse, summae characteris moralis depravationi occasionem praeberi, nonnullos virus syphiliticum ex hoc fonte deducere et ideo, quod actum gene-

randi penitus ad voluptatem animalem rejiciat, indeque summi effectus summe perniciosi in corpus et mentem humanam oriantur. — Quid de illis censendum, qui conjugium odio prosequuntur, facile e prioribus elucebit, utique contendere licet aut aliquid morbosi hic subesse, aut quamdam characteris moralis ruditatem adesse, praeterea nonnulli physiologorum docent, rarissime tales viros altiorem mentis evolutionem nancisci.

Conjugium ergo, flos quasi amoris humani pro salute humana respectu conjugum, infantum et civitatis maximi momenti est, ita, ut fere omnia bona, quibus genus humanum delectatur, ex unico hoc fonte scaturiant, quum e contra plurima mala, quae hominem molestant ex eodem fonte fluant, modo infelix quacumque e causa sit.

Theses defendendae.

I.

Anatomia comparata physiologiae oculus.

II.

Systema plantarum sexuale L. tironem optime ducit, in hoc tamen versato systema naturale magis arridet.

III.

Systema vitae dynamicum omnibus numeris absolutum esse, cave credas.

IV.

Instinctus verus hiatus medicinae feliciter supplet.

V.

Conducit somnus post pastum.

VI.

Hydropi non raro phlebotomia medetur.

VII.

Psychrolusia est fortissimum diaphoreticum.

VIII.

Febris nervosa primaria non datur.

IX.

Acarus pro effectu, non autem causa psorae habendus.

X.

Morbus scrophulosus nostro aevo frequentior perperam vaccinationi adscribitur.

XI.

Commotio cerebri ab extravasato in cavo cranii saepe difficillime distinguenda.

XII.

Cauterium actuale princeps remedium ad revellendas contumaces ossium et juncturarum inflammationes, idem

XIII.

In spondylarthrocace saepe remedium sistit unanimi medicorum consensu cauterium potentiale et quaeque alia effectu salutifero longe superans.

XIV.

Distinctio inter colporrhoeam feminarum insontem et syphilido-medorrhoicam nonnunquam difficillima et prorsus non eruenda.

XV.

Vera morum cultura atque aestetices studium nulli vitae conditioni tam necessarium ac ipsi medico.

XVI.

Si tibi defuerint medici, medici tibi sunto
Haec tria: mens hilaris, reques moderata, diaeta.